

3007
QUOD. FELIX. FAUSTUMQUE SIT.
DISPUTATIO. INAUGURALIS.

DE.
JURAMENTIS.

QUAM.
EX. DECRETO. CONSENSUQUE.
AMPLISSIMI. JCTORUM. ORDINIS.
IN. ILLUSTRI. AD. ALBIM. ACADEMIA.
SUB. PRÆSIDIO.

VIRI.

NORILISS. AMPLISSIMI. CONSULTISSIMIQUE.

Dn. WILHELM. LEISERI.

J. U. D. ET. PP. CELEBERRIMI. CURIÆ. PRO-
VINCIALIS. ADSESSORIS. GRAVISSIMI. FACULTATIS. JURID.
P. T. DECANI. SPECTATISSIMI.
PROMOTORIS. ET. FAVORITIS. SUI.
OPT. MAXIMI.

PRO.

HONORUM. ET. PRIVILEGIORUM. DOCTORALIUM.

LICENTIA.

PUBLICÆ. ERUDITORUM. DISQUISITIONI.
SUBMITTIT.

MATTHÆUS. von. der. Lage.

JEVERA. FRISO.

AD. D.VI. SEPTEMBRIS.

HORIS. MATUTINIS. ET. POSTMERIDIANIS. SOLEMNIBUS.
IN. MAJORI. AUDITORIO.

WITTEB. Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.
Anno M. DC. LX.



PROOEMIUM.

Sapientissimum NUMÆ insti-
tutum erat, eà pietate omnium
pectora imbuere ut FIDES ac
JUS JURANDUM proximo
legum ac poenarum metu civitatem rege-
rent. Sciebat enim jam initio, stare Rem-
publicam non posse, quam moliebatur, nisi reli-
gionis quodam vinculo eam contineret. Ämu-
lati sunt egregium exemplum æternæ illius ur-
bis posteri: ii etiam, ad quos imperium splendi-
dius semper auctiusq; pervenit. Testatur
Cicero, & ipse magnum decus Romani nominis,
pariterq; hæc fulcrata tanta Civitatis conjungit,
cum JURE JURANDO nihil ad astringen-
dam FIDEM arctius esse Majores voluisse
ostendit. Alius idem Sacramentum apud illos
in violatè sancte q; habitum gloriatur. Ge-
nerosè quidem Scythæ respondebant Alexan-
dro: Jurando gratiam sancire Seythas ne

Liv. lib. I.
c. 21.

lib. 3. de off

Agell. lib. 2.
c. 18.

A 2 crede-

Curt. lib.
VII, c. 8.

Diōd. Sic.
lib. III.

crederet, colendo FIDEM jurare. Græciorum istam cautionem esse, qui acta consignarent, & Deos invocarent: Se religionem in ipsa FIDE nosse: qui non homines reverentur, fallere Deos. Sed cum Supremum illud Numen non satis intelligerent omnes, infestum sceleribus, & gravissima imminentia vindicta, placuit Rerum publicarum moderatoribus horrore quodam sacro & metu religionis constringere parentium animos, ne incerto vagoque impetu colerent justitiam aut negligenter. Movent sane & Leges, præcipue armatae illæ atque severæ: Sed fortior religionis metusque divini vis est, que qui insuper habet, & pietatem violat, & FIDEM inter homines tollit, maximum humanæ societatis firmamentum. Hinc ipsorum Magistratum voces juratae, foederaque religione sancta: quibus utriusque delictorum venia contingit, quod prælucere aliis honesti viam debeant illustribus exemplis, ita divini Numinis religiosior veneratio convenit. Tyranni fuere olim non Reges, de quibus olim Lysander dicebat: ludere jumentis,

mentis, veluti pueri astragalis. At qui cum
laude & decore gesserunt imperia, & abstinue-
runt ipsi ab horrenda impietate & publicè mo-
nuerunt, **JURISFURANDI** contemptam
religionem Deum ultrorem habere. l.2. C. de
Reb. cred. Grave est illum fallere, qui intro-
spicere in secreta animi potest, testimoniis ad vo-
cere, qui & videt omnia, & novit. Prudens olim
veterum cautio erat in dicendis testimoniosis,
quod vidisse aut audisse dicebant se arbitrari.
At supremus ille testis invocatus semel &
electus nihil dubitat, nihil ambigit: meridiana
illi luce clariora sunt omnia. Sic enim cogi-
tandum, tanquam ille in pectus intimum in-
spicere possit: & potest. quid enim prodest
ab homine aliquid secretum esse? nihil! Deo
clusum est. Interest animis nostris & cogita-
tionibus mediis intervenit. Impia vox est,
& non ad iusjurandum eludendum, sed Deum
ipsum nata atq; ficta:

Jurata lingua est, mente juravi nihil.
Hinc veterum ex animi sententia assertiones:
quas nullus deinde dolus aut pretextus poterat

Brisson, de
Form.

Eurip. in
Hippol.

A 3 revol-

revocare. Absunt à rebus divinis ludibria,
Et fraudes malignæ, quas ne humana quidem
societas tolerat. At reverentia divini Nu-
minis cum horrore quodam sacro fortissimas
quasq; mentes egregiè decet: remoto tamen
stupore meticulofo, qui ad superstitionem incli-
nat. Nec enim ut Clinius Pythagoricus tote-
rare potius injuriam aut damnum tenemur,
quam jurando probare innocentiam. Pru-
dentius saniusq; Isocratis præceptum est, quo
Demonicum suum instruit: Ορενον ἐπιτεκνὸν περισσόδεχε,
Διε δύο τες φάσις, ἡ συντὸν διτίας αὐχεῖς ἀπόλυται, ἡ φίλος
ἐπι μεγάλων πινθύνων Διασώθων. Hinc Ulpiani nostri
cautela à duobus hominum generibus tacitè nos
absterrētis: quorum alii contemptu religio-
nis faciles sunt adjurandum, alii metu divini
Numinis ad superstitionem usq; timidi.
l.8. ff. de condit. Inst. Satis hisce præfatis sumus:
nec enim mores instruendi jam sunt, sed justitia
saltim legumq; pandenda Oracula: quæ docent
jubentq; non oratorio ritu persuadent. ad JULI-
RIS JURANDI itaq; materiam solidius excu-
tiendam pergimus, unum adhuc addentes:

Αὐθέρος δὲ ἐνόησε γενεὴ μεταποθετεῖ ἀμείνων

THESES

THESES. I.

A Nte omnia de Etymo *Juramenti* disquirendum est: in quo et si variant Dd, facile verisimillimum apparet. Frustra enim Panormitanus Juramentum quasi Juris astrigimentum dici contendit. Alii ex jure & mente conflatum autemant: alii ex jure & manare. Ridiculae potius origines quam verae: et si stoicorum prudentiam redolent, multumq; boni sensus involvunt. Hi enim satis esse ducebant fingere Etymon aliquod, modò virtutis aliquid aut doctrinæ hæc occasio liceret instillare. Sed nos, quod res est, attendentes potius, simplici derivatione à jurare fieri juramentum statuimus: ut ab experiri experimentum, ab instruere instrumentum, à testari testamentum &c.

II. Sed jusjurandum plerumq; dicitur, genuina magis appellatione. Et ejus vocis incertus ambiguusq; ortus est. Temerè certè dictum ita perhibetur, quod jurare saltim liceat, quod justum est, vel jus quoddam sit, quod jurando firmetur. Quin pace quorundam JCTorum principum liceat nobis originem ejus tradere minime vulgo arrisuram. Jusjurandum itaq; à Jove & Jурando compositum statuimus. Censebant enim primi Autores hujus sacramenti, tanquam Jove audiente affirmari, quæ per illius nomen ederentur. Quo alludit Jovenalis:

Jura. Sed jupiter audiet. eheu!

Id quod ne absurdum videatur, ut solent nova pleraq; contemni prius, quam exigi, monemus, etiam à Veterib. jurandum fuisse dictum, quod nos hodiè *jusjurandum* appellamus: ut hoc in illius vicem subrogatum sit.

tan.

tanquam majoris sanctimonia & religionis, quod ad
Deorum principem Regemq; summum dirigeretur.
Plauto hoc licet credamus.

Cistell.

Andrica.

de Deo So-
cratis

13. off.

Lib. XX.
Noct. Att.
c.10.

Abi, quare, ubi tuo jurando satis sit subsidiæ

Et Terentio

Quia si forte opus sit ad horum jurandum mihi

Immodi ipsi Rubr. ff. de in litem jurando. Adeoq; *Jus*
jurandum est quasi *Jovis jurandum*, quod etiam eviden-
tiore argumento est comprobare. Apuleji eccum testi-
monium. *Utrumq; idoneum non est, per quod adjures, ut ve-*
per ista jurent, cùm sit summi Deorum hic honor proprius.
Nam & Jovis jurandum esse dicitur, ut ait Ennius. Provocat
ad vetustissimum Poetarum Philosophus. Ejus versus
est Cicerone teste.

Fides alma, apta pennis, Jurandum Jovis.

Ne autem unius Ennii argutiam autumes, Nævius quoq;
idem habet

Jus sacratum, Jovis-jurandum sagmine.

Quid quod Jureconsullorum scita inseruisse pœmatis
Ennium Agelliustestis sit. Videatur Justus Lipsius lib. I.
c.18. Elect.

III. *Juramenti vocem in ff. ultra vicem duplicum*
non legi, observavit compilatori Collegii Argentora-
tensis, ut puta in l.34. §.5. h. t. & l. 25. §.3. de probat.
Cujus tamen opinionem non ideo afferimus, tanquam
vocem minùs probam existimemus, ut placuit nonnullis.
Satis enim illi autoritatis contulit Imperator illibata
antiquitatis amans. Creberrimè enim extat passim, uti
in l.1. pr. l.2. §.2. §.8. C. de Jurejurand. propter calumn. l.14.
§.1. C. de judiciis l.4. §.1.2.3.4.5. C. de rebus Cred. Alias ap-
pellat

pellationes, Religionis videlicet, sacramenti & quæ sunt
hujusmodi lubentes præterimus.

IV. Jurare autem non semper est permisum legum
asseverare rem dubiam: quo sensu capit in §. item se
quis Inst. de Action. & l. 28. §. 7. §. 8. ff. b.t. & pasim aliis
locis cognatis: quod demum ad veram jurisjurandi ra-
tionem pertinet: sed etiam contra leges nemine exi-
gente publicè aut privatum sacramento rei fidem quare-
re, sive veræ sive falsæ, ut videre est in l. 2. C. ad L. Jul. Maj.
& l. si duo 13. §. fin. ff. b.t.

V. Divinis autem legibus prohibitum est, ne quis
citra necessitatem juret. Christi Servatoris mandatum
est simplex & expressum, ut abstineamus. Graphicè vox Matth. §. 40.
eius exprimitur ab Hispanorum egregio Poeta Juvenco:

Nec fas est homini cælum jurare per altum,

Quod sedes Domini: nec qua vestigia gestas,

Terra Dei, Soluma ve urbis venerabile templum,

Quod Regis magni patria est jurabitur unquam.

Nec caput in proprium cuiquam jurare licebit.

Namq. potest atem minimi non esse capilli

Cernitis albumve aut nigrum mutare colorem.

Est est sufficiat, quod non est dicite non est.

Inculcantur eadem & explicantur in c. et si Christus 26. X.
de Jurejur.

VI. Certè si humani genus adhuc pristinam
custodiret innocentiam, constaretq; dictis & factis omni-
bus veritas, nihil opus eset jurandi religione: cum alio-
qui Viro honesto & morum sanctitate conspicuo non
minus credi debeat, quam alii levioris famæ et si jurato.
arg. l. sciendum penult. ff. qui satis dare cog. l. si quis stipu-
latus. i. 2. ff. de V. O. l. legitimus, s. delegit. tut. l. 7. ut leg. no-
mine

B

64.

mine caveatur. Sed quia sancti mores raro hodie laudibus
Petron. Sa ad fructum perveniunt, & pleriq; sunt hominum de qua-
tyr. bus jure meritoq; possis dicere; si arantenes jurarent,
Cic. pro Flac. neminem crediturum: immo nihil solennius est, quam
eo. mentiri, ideo non nisi jurantibus ut plurimum creditur.

Sen. lib. II. VII. Hinc ad Definitionem Jurisjurandi pergen-
contr. 2. dum est, velut omnium disputationum initium. Quæ
Cic. lib. I. de licet in jure periculosa sit lavoleno teste in l. 202. ff. de
off. & I. de R. I. ut tradit etiam inter alios Monet. distribut. quotid.
Orat. p. i. q. 4. n. 5. adeò ut multis annua spatio absumperit vel
una, Duaren. de jud. in pr. videbimus, ut doctrinorum
vestigiis insistentes optimam tradamus: quæ si nec ipsa

Sen. de vitâ. arrideat, liberum cuivis cum Seneca facimus, in aliam
Beat. c. 4. atq; alias faciem liberâ & integra potestate eam transfer-
re. Sive igitur placet Clementis Alexandrini, vetus est,

& Cujacio insuper approbata: cui jusjurandum est certe
litio definitio, que fit cum obtestatione divina, calculum
quasi adjacente, i. in pr. ff. h. t. quanquam Aristotelii po-
tius adscribenda, qui similiter definit u. I. I. & 2. & 3. & 4. & 5. &
Qd' av. diuine testo, ejusmodi assertionem, que ulteriori pro-
batione non egeat, cum veneratione divina conjunctam, sive
Ciceronis, cui dicitur affirmatio religiosa, Deo adhibito
teste: quæ quidem satisfacit Cl. Viro, Hugoni Grotio, et si
brevis & concisa: sive illa Petri Heigii, qui nuncupat af-
firmationem religiosam, quæ aliquid Deo teste asseritur ad S.
si quis. Inst. de Action. sive Phil. Melanchtonis: secundum
quem jusjurandum est asseveratio de re possibili & licita,
facta cum invocatione veri Dei, quaque timus, ut sit testis di-
ctorum, & puniat fallentes, & nos ipso teste ad paenam obli-
gamus. Nihil nos refragamus: quin illi potius, quod rectis-
sum est, subscribimus judicio. Videantur Joachimus à
Beaufy

Beuf. & Johannes Borcholt peculiaribus libr. de jure jurando : qui pluribus definitionem persequuntur.

VIII. Perstricta brevibus definitione ad ipsam, nos accingimus divisionem: qua et si aliis forte alia arri-
sura est, omnia juramenta in duo dispescemus genera.
Præterquam itaque quod alia sunt incumbentis Neces-
sitatis, alia assuetæ levitatis & malæ consuetudinis, vel
sunt Dicistica, vel Demonica.

IX. Dicasticum est, quod in lite & judicio fit,
contradistinctum illi, quod extra litem judiciumque
sola partium conventione præstatur. Et ad processum
pertinet ordinandum, estque vel prima vel secundæ in-
stantiæ.

X. Durat prima instantia usque ad sententiam
primi judicis i. judex postquam ff. de rejud. Et huic Jus-
jurandum incumbit cum veritate & LL. observatione ju-
dicaturum l. 14. pr. C. de judiciis. Hoc olim fiebat initio cu-
jusq; litis propositis sacrosanctis Evangelii: qua reservati-
on in judicio juss erat Imperator, ut præsente velut numi-
ne judicaretur. Ant. Peretz. prælect. in Cod. loc. supr. all. Ho-
diè verò aspirantes ad judicandi officium semel se reli-
gione illâ astringunt, minoribus tamen judicibus ex-
ceptis, qui jurant omnia secundum leges & jura factu-
ros, Nov. 15. c. 1. Auth. hodiè C. de jud. De peculiari judicis
sacramento in causis dubiis videatur Borcholt. cap. VIII.
Comment. de jurejur.

XI. Præcipue hoc jurejurando abstringebantur
judices, ne se favore aut studio partium aut muneri-
bus corrumperisinerent. Nec enim munera illis accipere
permisum est: ne unum quidem denarium, præter
esculentum aut potulentum. ut vult Can. non licet u. q. 3.

*& c. non sanc 14. q. 5. Mart. ab Azpiluet. lib. 1. conf. 21. p.
mib 33. Huc monitum spectat Phocylidis.*

in sent.

Fac justè cun

etis nec refa-

vor abstrabat.

ullus

Nec spernas

inopem aut

personæ dedi-

tus esto

Iudicio si

quem falles

Deus ipse re-

pendet.

Πάσι δίκαια νέμεν μηδὲ κρῖσιν ἐχειν ἔλειν

Μὴ εἴψεις πενίην, αἰνάς οὐ κρίνεις πεσσοπόν

Ην οὐ κακῶς δικάσος, οὐδεὸς μετέπιτα δικάσου.

XII. A judice locum sortiuntur litigantes quorum

utraq; pars jurat, nihil se judicibus aliisve personis patro-

ciniis causa dedisse promisisse spopondisse: præter-

quam honoraria Advocatis & Sportulas Executoribus.

Nov. 124. c. i. Et hæc pars est jurisjurandi propter calumniam:

quod ideo introductum est, ne tam petulanter ad litigan-

dum procederetur, ut ait Imperator §. 2. *Inst. de satisdat.*

Estq; vel generale vel speciale: hoc insingulis judicii par-

tibus præstatur l. i. C. b. t. c. i. in pr. cod. in 6to. illud ab utrâ-

que præstatur parte ante ingressum litis, continetque è

sententia nonnullorum quinque capita, quorum

1. est, quod non calumniandi animo litem moverint

2. quod neq; calumniandi animo ad reliquidum vene-

rint 3. nullam petere probationē velint differendi nego-

tii causa 4. interrogati verum responsuri sint 5. Nihil

judici aut aliis quam quod debetur dederint vel promi-

serint. In Foro nostro Saxonicō locum non habet, quam-

vis id opinetur Henning. Göden in suo Proc. rubr. 13. de lit.

contest. contrarium tamē obtinet in Confistoriis publi-

cis & causis matrimonialib. Joach. à Beust. in Rubr. de ju-

rejur. p. m. 53.

XIII. Præstatur hoc juramentum & suo & alieno

nomine: suo tenentur, quotquot suo nomine agere, vel

excipere in judicio posunt: exceptis clericis, qui à ca-

lumnia immunes sunt c. inhaerentes i. X. de juramento cal-

Gell. l. 10.

Noct. Att. 6. uti & apud Romanos Sacerdos Vestalis & Flamcn dialic-

jurare

jurare non cogebatur, nisi religionis aut sacrorum causa, adeo, ut quamvis simul Aedili, non permitemetur C. Valer. Flacco: quod Flamen Dialis esset. Sed & Patroni atq; Liv. lib. Parentes si coram judicio cum libertis vel filiis agant, ca- XXXI. c. 50. lumnia suspicione effugiunt, adeoq; à jurando isto liberi sunt ob reverentiam quæ illis debetur. l.8. §. jurebetur. ff. qui satisdare. cog. l.16 ff. b. t. l.13. §. 14. ff. de damn. inf.

XIV. Alieno nomine ad calumniam jurant, qui iudicium suscipiunt alterius nomine: utpote pater l.8. §. fin. C. de Bon. que liber. Filiis familiis, certis nimirum in causis l.1.8. §. fin. ff. de jud. l.17. §. n. ff. de injur. Tutores & Curatores l.2. §. 2. C. de Jurejur. propter cal. Procuratores in suam juxta & partis animam. c. 3. 46. X de jurament. Cal. ca. ult. eod. in Vito. Quæritur an & Advocati? Et negatur rectius. Illorum enim juramentum non est calumniæ, si perpendiculariter l.1.4. §. 1. C. de jud. Nec est quod in contrarium allegent l.2. in fin. pr. & §. 2. in fin. C. de juramento propter cal. Notanda enim sunt oppido verba Imperatoris: Secundum quod jam dispositum est, quæ omnino Advocatorum juramentum segregans ab altero Calumniæ. Obrecht. de jur. calumn. c. 6. n. 38. In plerisque civitatib. praesertim Camera Imper. semel jurant Advocati de causis sine fraude militaque orandis, cum in numerum eorum cooptantur. Ord. Cam. part. i. tit. 60.

XV. Aliud hinc juramenti genus est; quod in hominum tenuioris sortis gratiam introductum est, adeoq; paupertatis dicitur. Si enim duo litigent invicem, quorum alteruter vel neuter possit satisdare, paupertatem, suam adserere jurando tenentur, quod non potest se fidejussorem invenire posse, nec pignoribus cavere valeant. l.1. §. 2. C. de Adsert. toll. Magnificus Dm. Carpzov. in Proces. Tit. XII. Art. 5. n. 55. usq; ad 64.

XVI. Alteruter litigantium jurat, non tantum in judicio sistendi causa, ut Reus, sed articulorum quoque intuitu: Actor dandorum : Reus respondendorum. Ord. Camp. 3. T. 15. cuius tanten æquè ac calumniæ nisi viva voce exacti necessitas non est. X. Absch. de anno 1660. Art. Es ist Ita & is qui semel iterumq; & tertio testes produxit, & concludendo in causa ulteriori productione renumtiavit, postea denuo ad mitti desiderans ad alij productionem jurare debet quod nondum edita testimonia legerit aut per alium resciverit, sed bona fide quartam productionem postulet. Nov. 90. cap. 4.

XVII. De Advocatorum & Procuratorum Juramento diximus supra: Testes sequuntur, qui antequam deponant, tenentur jurare: adeò, ut si deponant prius, deinde jurent, irritum sit Testimonium, cum semper presumatur juramentum præcessisse. Ias. in l. admonen- di in 2. lect. num. 104. & 145. Debent autem jurare ipsi non per procuratorem. Bart. in l. qui bona §. si alieno num. 17. de dann. Landrecht. libr. 2. Art. 22. vers. 2. Juge ein Mann ibi: bey seinem Cyd, & ibi gl. lat. in lib. ff. nec per scripturam Bart. in l. Theopompus num. 12. de dot. preleg. Zabarel. in c. testimonium in fin. de testib. Vox enim viva requiritur, juxta Bart. in l. jurisjur. C. cod.

XVIII. Jurare autem testis debet, de veritate, quatenus eam habet cognitam sine omni odio gratiaque di- cenda. gl. ult. in c. fraternitatis X. de testib. & quidem per verum unicumq; Deum non per Sanctos utputa Jacobum, vel alios, quod volebant veteres ut tradit Cyn. in l. testium. u. 5. C. de Testib. Unde si à Judæo perhibendum sit testimonium, peculiaris illi forma præscribitur: cum nul- la ei sit Evangeliorum reverentia, & alia omnino solen- nitates

nitates r. qui sincera. dicit. 45. Conceptum tamq; pro illis est
juramentū singulare: cuius metu pejerare non ausint ad-
hibenturq; convenientes illis ceremoniæ. Ord. Cam. de
anno 38. p. 2. sub rubr. Form und Ordnung des Jüden Eyds.
& de anno 55. p. 1. n. 86. Weichb. sub tit. der Jüden Eyd.

XIX. Ad secundam Instantiam pertinet *juramentum appellationis*. Receptum enim est in multis Ger-
maniae locis, ut *appellations* ad superioris tribunal non
admittantur prius, quam jurent appellantes, se non te-
merè, aut ad differendum fraudulentiter negotium su-
pendi petere sententiam à viribus rei judicata. Id quod
eo extenditur, ut etiam per *litteras* *præstari* possit:
quod non licet in judiciali vel necessario Juramento. re-
sponde Bald. in l. si per alium. §. ult. ff. ne quis eum quin jus.
Post gl. ibi & Rom. in l. ait pretor §. *jurari*. ff. dc *jurejur*.
Videatur plurib. Mynsing. cent. 3. obs. 56. p. m. 217.

XX. Sed hæ juramentorum species ad processum
utriusq; instantiæ pertinent ordinandum: sequuntur il-
la, quæ spectant ad litem decidendam: & vel à solo judi-
ce defertuntur, vel ab ipsis invicem litigantibus, judice
appobante.

XXI. Quod à judice defertur, necessarium dici-
tur. *præstandum* enim est, sive velit sive nolit, cui injun-
gitur, nisi malit pro condemnato haberi. l. 12. §. 2. C. de R.
terred. Tametsi autem arbitrium ejus penes solum judicem
est, tamen ex lubitu ejus non ita liberè pendet, ut citra
causam vel deferri vel non deferri posit. Requiritur e-
nam l. in opia probationum l. 3. C. eod. 2. *caussa dubia de-*
qua inter Dd. plurimæ *vigent controversiæ*. *quorumdam*
opinio est eam esse dubiam, si pares sint actoris & *rei*
probationes, nec aliud suppetat *remedium* *decidenda*
litis.

litis, quam si alterutri deferatur Juramentum. Sed hi vel ideo errant, quod in pari causa & conditione Reus sit absolvendus potius, qui favorabilior semper actore l. 125.
ff. de R. I. l. 4. C. de edendo. o. cum partium u. cod. in 6. Tutiū est interpretari causam dubiam, vel de unico teste omni exceptione majore: cuius cum regulariter non satisficiat fides l. maritus 20. ff. de Question. quamvis præclaræ curia honore præfulgeat l. jurisjurandi 9. C. de testib. sine hoc juramento erui veritas non potest: vel de Actoris & rei disparitate: e. o. si actor, qui intentionem suam quibusdam argumentis probavit, sit vir probus, & reus sit vir improbus ac levis. Dubitabit ibi judex, absolvatnē reum an condemet: Optimumq; consilium est honestiori deferre juramentum. Addunt nonnulli similitudinem literarum, quæ ex comparatione scripturarum sumitur. de qua videatur Borcholt. cap. VIII. Comment. ad tit. n. p. m. 236. n. 6. & seqq.

XXII. Sed cum actori pariter & reo deferri hoc iusjurandum soleat, utri competit potius queritur? alii reo soli deferunt: quam opinionem truiti sunt Azo in sua sum. C. de reb. cred. & jurejur. n. 10. & Accursius in l. admonendi. in ver. exacto sub fin. & in l. in bone fidei & in ver. decidi C. cod. allegante Ioachimo à Beust. in l. admonendi de jure jur. pag. m. 403. alii Actori semiplene probanti, teste eod. ib. Tutiū hoc est statuere, arbitrio judicis id relinquentum, qui probè consideratis personarum causarumq; momentis, ei desert, quem putat minus pejeraturum.

XXIII. Personarum ea habetur ratio, ut præferatur semper probior atq; dignior, quo refero etiam ditionem. nec enim deferri hoc iusjurandum potest personis vilibus

bus a. infamia laborantibus: quippe quæ in aliena etiam
causa non censeantur testes idonei l.3. S. lege Julianæ ff. de test.
nendum in propria, in quæ facilius etiam pejeraturi videntur.
Pauperes etiam ut plurimum perjurii suspicioni obnoxii
sunt l.3. in pr. ff. de testib. Juvenal.

— Jures licet & Samothracum.

Et nostrorum aras, contemnere fulmina pauper
Creditur.

Obtinet tamen contrarium in divite, qui malis artibus, ut-
pote usuraria pravitate divitias quæsivit, cyn. in l. in bona fidei
3. num. 8. vers. attendi debet: ibi: si autem quæsita. C. de Reb.
cred. & Fulgos. n. 7. in pr. C. eod. Masculum quoq; vulgo foemi-
næ ante ponunt, teste sæpius laudato Joachimo à Beust in l. }
admonendi p. miki 407. n. 175.

XXIV. Causarum quod attinet differentiam, locum
habet in civilibus non criminalibus, aut iis quæ maximi sunt
momenti, quippe quæ criminalibus accenseantur c. 1.
de reslit. spol. in 6to. quales sunt matrimoniales. Zafus,
conf. n. 27. Joachimus à Beust, ad l. 3. de jure jur. n. 6i. sunt enim
instar servitutis gl. in C. mulieri de jure jur. Observata tamen
distinctione egregia, quod aut pro matrimonio juran-
dum est, aut contra priore casu admittitur: maximè si acce-
dat præsumptio aliqua ad probationem semiplenam: v. gr.
Actor eset juvenis nobilis & dives: puella autem plebeja &
indotata, si probaverit semiplenè contractum esse matri-
monium aut sponsalia, merito admitteretur. Posteriore
non item. Beust ibid. cum negantib. potius injungi debeat
juramentum purgationis, de quo infra..

XXV. Præcipua hujus cautelæ ratio est, quam-
brem in causis criminalib. magnis, (immò & famosis) non
defertur juramento necessarium, ne occatio detur perjuriis.

C

Cum

Cum periculo capitⁱs & fam^es facile quis ad pejerandum induci posse. Idem obtinet in pecunia & commodis supra modum lucrosis. Hoc tamen observato, ut habeatur respetus personarum. Quorū intuitu momentū causā demum apparet. Distinguendum enim inter Regem & Cive in. *Alberic.* in l. in bona fide in ult. Col. in verb. Sed quæ causa dicetur. *C. de reb. cred.* Sic cūm Comitissa. Matilda Ecclesiae aliquantulum terræ concessisset quæ tamen in 3c. miliaria italica extendebatur, quoad ipsam causa fuit modica, quoad alium verò pauperem Baronem causa esset magna. gl. in l. sed et si suscepit §. in verb. modica & ibi Bart. num. 4. de judic.

XXVI. Affine est Necessario juramentum *Purgationis*, & hoc quoq; à judice defertur: nimirum cum reus ab actore diffamatus sed non convictus est. Sunt interim contra illum indicia quædam & probatio semiplena, defertur illi à judice sacramentum purgationis, quæ asferat se non teneri, puta ad debitum, vel crimen intentatum non commisso. *Pet. de Piol.* in l. n. 50. de jurejur. Judex autem defert hoc juramentum ex officio, etiamsi petitum non est, modo iustæ suppetant causæ deferendi, ut videre est ē Constitutionib. *Elect. pert. 1.* *Constit. 22.* Ad inventum autem est à Canone, ut loqvuntur, unde & purgatio canonica dicitur tot. tit. *X. de purgat.* *Canon.* Videatur de illo pluribus *Daumboud.* in pract. rer. criminal. c. 44

XXVII. Affine hoc juramentum necessario diximus, quippe quod & ipsum sit decisorum. Reus enim si præstiterit delatum jusjurandum purgationis per sententiam absolvitur. Nisi actor novis supervenientibus utens probatioibus pejerasereum demonstret. *Magnif. Carpov.* Proces. *Civ. Tit. XII. art. 3. §. II.* Berst ad Rubr. de jurejur. n. 196. p. 95.

Alix

Aliæ purgationes, quæ olim fuerunt receptæ, non sunt hujus loci.

XXVIII. Sed & aliud juramentum à judice dependet, nimirum *in litem*, ad inventum ad coercendam litigatores contumaciam dolum aut culpam. Hoc ipso res iudicium deducta & ab adversario non praestita deferente judice ab Actore aestimatur. Necesse autem est ut à judice deferatur: alioquin nulla religio, nullum jusjurandum. *I. 4. §. 1.* de *in litem* jurando. Dispescitur vulgo in duas species, affectionis, & veritatis; addunt nonnulli tertiam singularis interesse.

XXIX. Affectionis illud est, ubi Actor in aestimationem litis pro suo arbitrio & affectione jurat. Excedit hoc verum rei pretimum, & affectioni quæ alias nullius pensi habetur *I. 33. ff. ad I. Aquil. aliquid tribuitur. I. 1. 1. 4. §. 1. ff. de in lit. jur. I. 28. de R. I. I. 18. pr. de dolo.* Idq; potissimum ob dolum & contumaciam Adversarii non restituentis vel præstantis rem petitam *I. 1. ff. de in lit. jurando.* Defertur autem actori qui litis dominus est eamque est contestatus suo nomine *I. 2. eod.* Non autem procuratori, qui quamvis per contestationem litis sit dominus factus *I. 22. 23. C. de procur.* non tamen id suo nomine fecit. Nec enim eadem affectione rem prosecutur, quo Actor, quippe cui unicè constat, quantopere illam aestimet. Extenditur autem assertio illa in infinitum: nisi iudex certam quantitatem definivit, quæ excedi non debet *I. 4. §. 2. ff. de in lit. jur.*

XXX. Alterum Veritatis est, quo quanti revera interest, fit aestimatio: *I. 2. §. 1. ff. de in litem jur. idq; regulari per propter culpam debitoris I. cadem. utpote si res non extet, ejusq; aestimatio probari non possit.* In praxia non

G 2

semper

semper attendi hanc differentiam, sed judicis relinqu arbitrio, quando juramentum sive affectionis sive veritatis velit deferre, testis est laudatus *Dn. Carpzov.* in Proces. *Sax. tit. XII. Art. 4. n.7.*

XXXI. Sed hæ species Juramentorum ad litem decidendam pertinentes à Judice proveniunt. Sed ipsi etiam litigantes sibi quandoque invicem deferunt jurandum. Dicitur id vulgo judiciale, quia in judicio fit & judice consentiente *l.12. §.1. C. de Reb. creditis.* Deferre id potest Actor, antequam aliquid præstiterit aut probaverit in ipso statim initio litis. *l.12. pr. C. de Reb. cred.* Reus tamen illud suscipere non tenetur, cum deferenti si velit referre possit. Alterutrum enim faciat necesse est, aut suscipiat juramentum, aut referat: nisi manifestam turpitudem & confessionem velit incurrere *l.38. ff. de jurejur.*

XXXII. Interdum tamen justæ sunt causæ, quæ impediunt, quò minus aut suscipiatur aut referatur. Nimirum si homo turpis & infamis deterat, cui quis tuto referre non posit: cum periculose sit levem ejusmodi hominem in propria causa testem & judicem constituere. Item si quis plenè potius probare velit, quam religionem subire. *l.n. C. de Reb. cred.* nec non si deferens, de caluminia jurare recusat *l.34. §. 4. 7. de jurejur.*

XXXIII. Quandoque & ipse reus hoc juramentum actori defert. *l. quidam, 21. l. in duobus 28. §. fin. l. quod si juravi 29. l. eum qui juravit 30. in pr. & §. si juraverò ff. de jurejur.* Veluti, si actor de pecunia credita agat, & contendat sibi decem à Titio dari oportere, Titius potest Actori iusjurandum deferre ut juret decem sibi dari oportere. *l. quoties 14. ff. de jurejur.* Hinc actori delato juramento,

si juraverit, vel ei remisum sit sacramentum, ad similitudinem judicati in factum actionem competere à Dicletiano & Maximiano Imperatoribus rescriptum est. *l.8, C. de reb. cred.*

XXXIV. Referri ut diximus hoc juramentum potest: & is cui refertur, suscipere tenetur, alias à Prætore judicium non impetrat. Aequissimum enim est, ut non displiceat conditio *Jurisjurandi illi, qui detulit, ut loquitur Ulpianus in l.34. §. datur autem ff. de Jurejur.* Conceptio tamen seu formula Jurisjurandi relati displicere potest: nec enim semper consonans est per omnia referri Jurisjurandum quale defertur, forsitan ex diversitate rerum vel personarum quibusdam emergentibus, quæ varietatem inducant: quod si eveniat, officio judicis conceptio Jurisjurandi terminari debet. *d. l.34. §. non semper 8. cod. Borcholt. cap. VII.*

XXXV. Sed & qui maximè suscipit, à deferente, exigere potest Juramentum Calumniæ, antè quam illi jurat. *d.l.34. §. qui jusjurandum 4. l. delata 9. C. de reb. cred.* hinc qui recusat jurare ad calumniam, actione cadit. Sibi enim imputare habet, qui processit ad delationem juramenti, nec primò de calumnia juravit, ut sit remittenti similis *l.37. ff. de jurejur.* unde & si moram trahat deferens in jurando calumniæ, & interim paratus jurare moriatur, habetur pro præstito Sacramento, per regulam Juris: Mors vim jura menti habet. *Paul. de Castr. conf. 320. incipiente: ad bene examinandum num. 2. lib. 1. Decius col. 2. C. de edenda. Cravett. cons. 158 num. 7. part. 1.*

XXXVI. Sed hactenus juramenta Dicastica: se quuntur Demotica, quæ sunt vel de re controversa vel non controversa. Ad illa spectat juramentum voluntarium.

C 3

quod

67.

quod ex sola & mera voluntate partium proficiscitur, & ab initio ab una parte potest suscipi, vel non suscipi, sed si semel est susceptum postea referri non potest. *joachimus à Beauf*
ad rubric. ff. de jurejur. Referri non potest ob duas potissimum causas. Prior est, quod Juramentum, quod à principio fuit voluntarium, factum est necessarium: pars enim voluntariè recepit istud juramentum, meritoq; valet regula, quod ea, qua ab initio sunt voluntatis, ex post facto si ant necessitatis. Posterior hæc est, quia de jurando & non referendo conventum erat inter partes, adeoq; à formâ conventionis non est recedendum. *i.e. si convenient. ff. de pos.*
gason in l. i. jusjurandum, quod ex conventione in pr. num. 3. ff. de
jurejur.

XXXVII. De re non controyersa juratur in iis, quæ extra judicialem controversiam posita sunt. ubi primum facile locum sibi vendicat Juramentum fidelitatis, quod Vasallus Domino suo præstat: & definitur affirmatio reliqua facta Domino à Vasallo de præstandâ fide. *c. un. quid precedere debeat.* Tanta autem hujus juramenti necessitas non est, ut omitti non possit. *c. i. §. 1. ibi. si et amen. Et c. que fuit prima causa benef. c. i. de fideli. cap. un.* Ecclesiam fidelitatem non facere, quamvis quidem sine fidelitate simpliciter concipine quidem possit. *arg. c. un. per quos fiat investit.* Præstatur hoc juramentum vel à Vasallo ipso, vel ab ipsius procuratore *c. un. vers. personam, per quos fiat investitura.* ita tamen, ut speciale mandatum exhibeat. *Menoch. vol. i. Conf. 1. n. 28. vol. 5. conf. 426. n. 38.*

XXXVIII. Immò & ipsi Imperantes, in hæc classem suum inventiunt jusjurandum. utputa *capitulationis servandæ, Fidei, & religionis iuenda.* *Limn. lib. 2. de I. P. c. 4. n. 33.* *capitulat. cesar. c. i. n. 8. & 20. Reineck. lib. 1. Et 5. c. 4. n. 8.*

Super

Supersuntalia huius generis, utpote iuramenta officialia-
um, tam civilium, quam militarium: tutorum in tutela
fuscienda Nov. 72. l. 24. C. de Episcop. aud. vel recusanda,
cum obligatum sibi pupillum dicunt, Nov. 72. c. 3. iura-
menta confirmatoria veluti 1. in contractu minoris. *antb.*
sacramenta puberum. C. si advers. vend. 2. transactione ma-
joris. l. 41. C. de Transact. 3. alienatione rei dotalis c. 20. X.
de iureiur. 4. renunciatione hereditatis cap. 2. *depactis in*
6to. Sed haec pertractare omnia & supervacuum foret:
cui egregiorum virorum nos prævenerint labores, & su-
perbum quicquam illis aut plus, aut melius tentare.

XXXIX. Nec immemores sumus, quam uberibus
controversiis scateat haec materia juramentorum, quæ
suumorum adhuc Jure-Consultorum sollicitent varientq;
iudicia. Omissimus pleraq; scientes, hoc uno contenti, si
viceum publici specimini tot diversa juramenta non incon-
cino complexa fasce dimitteremus. Nominasse itaq; & in-
dicasse videri volumus, quæ ad hanc rem sunt, non pertra-
stasse aut tradidisse. Commentaria scribere aliis libeat
liceatque: nobis & atas & institutum aliud suadent ac di-
stant.


XL. Finimus itaque & pedem sistimus, plura ac
meditatoria imposterum promittentes. Simulque Deo
tex Opt. Maximo pro jugi & immensa sua gratia, clemen-
tique actæ hactenus vita præsidio gratias agimus devotissi-
mas. Aspiret porrò nostris progressibus, æternumque fa-
vorem continuet. Vigeant florentque ipsius jussu Res-
Publicæ, & felicia subinde capiant incrementa. Nostris ve-
ro sive honoribus, sive honorum pii votis illud inesse
pondus sinat, ut cedant omnia in ipsius glo-
riam, & publicum emolumentum!

F I N I S.

64.

Quod uacat pagina sequentibus impleo
Corollariis.

- I. Omnia juramenta servanda sunt, quæ
non vergunt in salutis æternæ dispendium.
- II. Perjuria legibus non sunt impunia.
- III. Represalia de jure sunt licita.
- IV. Usuræ neq; Naturali neq; divino juri
adversantur, neq; canonico simpliciter damnan-
tur.
- V. Nemo potest efficaciter transfigere, nisi
qui habet rerum suarum vel alienarum admini-
strationem.




WITTENBERG, Diss., 1660



3

SB-

107



Farbkarte #13

B.I.G.	Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue
8									
7									
6									
5									
4									
3									
2									
1									
Centimetres	19	18	17	16	15	14	13	12	11
Inches	7.5	6.5	5.5	4.5	3.5	2.5	1.5	0.5	0

1660. 11. 22.
FAUSTUM QUE. SIT.
INAUGURALIS.
DE.
MENTIS.
QUAM.
CONSENSUQUE.
CTORUM. ORDINIS.
ALBIM. ACADEMIA.
PRAESIDIO,
IRI,
SIMI. CONSULTISSIMIQUE.
LMI. LEISERI.
EBERRIMI. CURIAE. PRO-
GRAVISSIMI. FACULTATIS. JURID.
SPECTATISSIMI.
ET. FAVORITOS. SUI.
MAXIMI.
PRO.
LEGIORUM. DOCTORALIUM.
ENTIA.
ORUM. DISQUISITIONI.
BMITTIT.
S. von. der. Lage.
FRISO.
SEPTEMBRIS.
POSTMERIDIANIS. SOLEMNIBUS.
AUDITORIO.
IS RÖHNERI, Academ. Typogr.
M. DC. LX.